

74. QUÆRES XVI. *An liber Sapientiae non faveat fabulosis gentili-um poëtarum metamorphosis, dum (cap. 19, v. 18) ait: AGRESTIA (animalia) IN AQUATICA CONVERTEBANTUR: ET QUÆCUMQUE ERANT NATANTIA, IN TERRAM TRANSIBANT. Verum an in librum divinitus dictatum cadit, fabulosas eiusmodi metamorphoses adstruere? R.* Toto coelo aberrant omnes, qui ut librum Sapientiae impugnent, hunc Scripturae locum ad somnia de mutatis animalium naturis detorquent. Nullus enim hic sermo est de fabulosa quadam metamorphosi, sed de iis, quae acciderunt in regione Aegypti variis plagis percussa, ubi inter caeteras plagas, postquam aqua in sanguinem tam in lineis vasis, quam in saxeis, et in omni terra Aegypti (1) conversa fuerat, agrestia animalia prae vehementia sitis in Nilum se coniciebant: et vicissim omnis generis pisces, et maxime amphibia, cum sentirent, aquas Nili in sanguinem mutari, vel in terram se effundere

properabant, vel morte occupata ac super aquas sensim eminentia, vi fluctuum in terram excutiebantur. Extat in hunc libri Sapientiae locum celebris dissertatio in diario ecclesiastico (2).

SCHOLION. *Cornelius a Lap., Menochius, Calmet*, alique interpretes memoratum l. Sap. locum paulo aliter explicant. Animalia agrestia, inquit, in aquatica convertentur, id est, homines, boves, oves, armenta hebraeorum, quodammodo in aquatica animantia convertentur, quando hebraei per mare rubrum (3) transibant. Et quaecumque erant natantia, in terram transibant, hoc est, pisces et amphibia (ut iam in prima responsione dictum est) in terram effundebantur, cum aquae Aegypti in sanguinem versae sunt: vel intelliguntur hoc loco ranae (4), quae ex aquis exilientes domos aegyptiorum invaserunt, et sic ex aquaticis quasi terrestria animantia facta sunt.

SECTIO VI.

DE LIBRO ECCLESIASTICI

Hic liber a latinis inscribitur *Ecclesiasticus* ad imitationem libri a *Salomone* scripti, qui *Ecclesiastes* dicitur. Complectitur enim similem philosophiam moralem, tradens encomia Sapientiae, et praecepta virtutum, quibus laudes patriarcharum et prophetarum subnectit. Appellatur autem *Ecclesiasticus*, et non *Ecclesiastes*, ut sit aliqualis distinctio ab hoc altero libro; quamvis *Ecclesiasticus* idem significet ac *Ecclesiastes*, nempe *Concionator*. Porro *Ecclesiastici* auctor est *Iesus*

(1) Exod. c. 7, v. 19, 20 et 21.

(2) Journal ecclés. décembre 1764.

filii *Sirach* senioris, qui tamen multa ex *Salomone* depromsit, et ob similitudinem argumenti, stili et phrasim cum libris *Salomonis* plurimum convenit, ex quo factum est, ut multi ss. patres testimonia ex *Ecclesiastico* desumpta passim citent nomine *Salomonis*. Alius dein *Iesus* item filii *Sirach*, sed iunioris, ac nepos auctoris l. *Ecclesiastici* hunc librum ex hebraeo in graecum sermonem transtulit. Distinguendum igitur est inter *Iesum filium Sirach senioris*, auctorem *Ecclesiastici*, et

(3) Exod. c. 14, v. 22.

(4) Exod. c. 8, v. 5-7.

inter *Iesum filium Sirach iunioris*, interpretem eiusdem libri. Nam *Sirach* senior genuit *Iesum* auctorem *Ecclesiastici*: hic genuit *Sirach* iunior, cui moriens *Ecclesiasticum* hebraice compositum reliquit; *Sirach* iunior genuit *Iesum* iunior, qui avi sui hebraicum volumen in idioma graecum transtulit (1).

75. QUÆRES I. *Quot fuerint in veteri Testamento celebriores viri, compellati IESUS nomine? 2. Et quo saeculo extiterit IESUS FILIUS SIRACH SENIORIS, AUCTOR L. ECCLESIASTICI? R.* Plures in V. T. hoc nomine *Iesus*, i. e. *Salvator* compellantur: tres tamen magis celebres sunt, quorum singuli erant figura Christi Domini. Primus fuit *Iosue* apud graecos Ἰησοῦς, et apud *Sirachidem* seu *Ecclesiasticum* (2), *Iesus Nave* appellatus: alter erat *Iesus filius Iosedec Pontificis* tempore captivitatis babilonicae (3): tertius *Iesus filius Sirach senioris* auctor *Ecclesiastici*. *Iosue* dux populi israelitici expressit typum *Iesu* Christi fideles suos in terram promissam, id est, in regnum coeleste deducens. *Iesus filius Iosedech* tanquam pontifex repraesentavit sacerdotium et pontificatum Christi. Denique *Iesus Ecclesiastici* auctor praefiguravit Christum tanquam magistrum et doctorem universi.

AD 2. dico, *Sirachidem* seniore, seu *Iesum filium Sirach senioris* floruisse tempore *Ptolemaei Philadelphi*, lxx interpretum, et *Eleazari* summi pontificis, hoc est, circiter 280 annis ante Christum natum (4).

(1) V. in s. Bibliis prolog. *Ecclesiastici*.

(2) Cap. 46, v. 1.

(3) *Zachar.* c. 5, v. 1.

(4) Vide apud *Calmetum* ad finem dictionarii bibl., aut apud alios tabulam chronol. universal. historiae biblicae, ad annum mundi 5712.

(5) In prologo l. *Eccli.*

Nam *Sirachides iunior*, *Sirachidis senioris* nepos versionem *Ecclesiastici* ex hebraeo in graecum se suscepisse ait (5) tempore *Ptolemaei Evergetis*, qui *Philadelpho* fratri successit. Praeterea *Sirachides senior* seu auctor *Ecclesiastici* magnorum virorum laudes (6) recensere desinit in elogio *Simonis* pontificis, qui fuit frater *Eleazari* pontificis, signo satis manifesto, se circa illud tempus scripsisse *Ecclesiasticum*. Denique valde probabilis multorum opinio est, auctorem *Ecclesiastici* fuisse unum aliquem ex lxx interpretibus, inter quos *Aristaeas* (7) etiam quendam *Iesum* recenset.

76. QUÆRES II. *Num credibile sit, quod auctor Ecclesiastici fuerit theopneustus, seu a Deo inspiratus; cum potius videatur fuisse philosophus gentilis de secta platonica. Antequam respondeam, observo, quendam recentiorum ex doctoribus catholicis divinitatem libri Ecclesiastici ex eo maxime capite impugnasse, quod huius libri auctor videatur esse philosophus ex schola alexandrina sectae platonicae, cum dicat (8): Et effudit illam, i. e. sapientiam suam Deus) super omnia opera sua et super omnem carnem, secundum datum suum, prout scilicet eam dare et communicare voluit: atqui haec est doctrina platonica. Plato enim docuisse fertur, Deum primo produxisse per effluxum quendam ex se duo principia, unum quod esset mens, ratio et idea mundi efformandi; alterum, quod materiam animaret, et esset anima seu spiritus mundi. Ita Plato in *Philebo* seu de summo bono, et in *Timaeo* de mundi natura; prout refertur in lexico universal. lipsiensis (9).*

(6) Cap. 50, v. 1.

(7) In historia de 70 interpretibus.

(8) *Eccli.* c. 1, v. 10.

(9) T. 28 ad voc. *Platonische Philosophie*.

Verum R. et dico, verba illa Eccli., *Et effudit super illam omnia opera sua*, non ita crasse et materialiter accipienda esse de effusione aliqua seu effluxu reali ex Deo, quemadmodum *Plato* docuit; sed metaphorice ita, ut sensus sit: Sapientia Dei effulget in omnibus operibus suis, secundum mensuram perfectionis eis datae. Igitur auctor l. Eccli. non loquitur de ideis platonis, aut de spiritu mundi a Deo realiter distincto, et super omnes creaturas effuso; sed potius de idea Dei aeterna, iuxta quam ipse hoc universum condidit, producendo singulas creaturas ad quandam similitudinem suarum divinarum perfectionum, quin tamen ideo de sua essentia vel idea aeterna, quae reapse Deus ipse est, aliquid decerneret, aut realiter extra se effunderet. Sicut enim artifex dici potest effundere artem suam in artefactum, v. g. pictor pingendo imaginem similem suae arti et ideae, quam mente concepit; sic Deus quasi artifex universi, sapientiam et ideam suam veluti in illud contulit et transtulit, cum illud iuxta illam, illique simile condidit. Unde textus syriacus habet: « Manifestavit eam (nimirum sapientiam suam), et divisit eam omnibus operibus suis, » et arabicus: « Patefecit eam et revelavit eam.... distribuit eam inter universam creaturam suam. » Ceterum haec locutio metaphorica, *effudit illam super omnia opera sua*, significat largitatem beneficentiae Dei, quod sua dona et sapientiam instar imbris vel torrentis in sensu ante explicato copiosissime effude-

(1) Vide *Cornelium a Lap.* comment. in Eccli. c. 1, v. 10.

(2) Vide num. 75, q. 1 ad secundum.

(3) Eccli. c. 44, v. 16, usque ad c. 50, v. 24.

(4) Vide Eccli. c. 50, v. 29, 50 et 51.

rit in creaturas, hoc universum constituentes (1).

Porro *Siracidem seniore*, qui est auctor Ecclesiastici non fuisse philosophum gentilem de secta platonica, etiam ex eo satis manifestum est, quia creditur unus fuisse ex LXX interpretibus (2); et quia laudes patriarcharum, et aliorum apud hebraeos praeclarorum, incipiendo ab *Enoch* usque ad *Simonem* summum pontificem (3) longa serie contextit. Praeterea is erat civis ierosolymitanus eximiae sapientiae, et alter sui aevi *Salomon* (4), ac per multas et graves tribulationes probatus, et ad culmen perfectionis deductus (5), ac denique prophético lumine a Deo illustratus. Insignis enim ab ipso scripto consignata prophetia est illa (6): *Penetrabo omnes inferiores partes terrae, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.* Quae loquentis Sapientiae divinae verba per descensum Iesu Christi ad inferos perfectissime impleta esse, docent cum *s. Isidoro* (7) passim interpretes catholici; tum enim anima Christi per mortem in cruce a corpore separata ad limbum descendit, detentosque ibidem patres sui cognitione et laetissima praesentiae suae luce perfudit, beatos reddidit, ac subinde e terra ascendens secum in coelestem gloriam deduxit. Ad prophetias etiam pertinent, quae idem auctor Ecclesiastici scribit (8) de reditu *Heno*ch et *Eliae*; namque ex his locis veteres passim ac recentiores uno quasi consensu docent, *Heno*ch venturum cum *Elia* contra *Antichristum*. De

(3) Ibidem, et sequenti cap. 51, v. 2-15; item c. 54, v. 13.

(6) Eccli. c. 24, v. 45.

(7) L. de resurrect. domin. c. 51.

(8) Eccli. c. 44, v. 16; item c. 48, v. 10.

utroque loco fase disserit *Cornelius a Lap.*

77. QUÆRES III. An Ecclesiasticus, omnibus consideratis, merito repositus sit in canonem librorum divinatorum? R. affirmative contra *Lutherum*, *Calvinum*, eorumque sequaces. Quamvis enim Ecclesiasticus non sit liber proto-canonicus, est tamen deutero-canonicus, ut alibi (1) ostendimus. Confirmatur id ipsum ex patribus, qui libro Ecclesiastici tanquam scriptura divina et canonica suis in operibus usi sunt: longam horum seriem tam ex pp. graecis, quam latinis secundum ordinem saeculorum recensent et citant *Tourneminius* et *Hermannus Goldhagen* (2). Insuper auctoritas divina Ecclesiastici elucet ex novo Testamento, in quo non paucae ex Ecclesiastico depromptae sententiae occurrunt, tanquam effata divina, ut denuo *cl. Goldhagen* (3) ostendit. Adde sensum ecclesiae graecae etiam hodiernae, quantumvis schismatica, quae contra *Cyryllum Lucarem*, et *calvinistas* in synodo hierosolymitana sub *Dositheo* celebrata an. 1672 pronuntiavit, *Sapientiam Sirach* (i. e. Ecclesiasticum) aliosque libros deutero-canonicos *insipientes*, *inscite*, ac magis *malitiose* vocari *apocryphos* (4).

Ceterum argumenta peculiariter, contra librum Ecclesiastici protestantes ordinarie nec afferunt, nec habent: communia vero eorum contra hunc aliosque libros deutero-canonicos argumenta iam alibi (5) enuncutavimus. Unicum affero, quod tamen pariter ex alibi (6) dictis solvi potest: sed hoc loco paulo enucleatius recensendum, refellendumque censemus.

(1) Vide Scriptur. s. contra incredulos propugn., V. T., p. 4, q. 1, n. 1, 6 et 7.

(2) Introduct. in s. Scriptur. p. 2, n. 178.

(5) Ibidem.

Est autem huiusmodi: librum *Ecclesiastici* in Scripturarum canonicarum catalogo non adscriptus *Melito* sardensis episcopus in epistola ad *Onesimum*; *Origenes* in expositione psalmi 1; nec *s. Athanasius* in epistola festali; nec *s. Gregorius Nazianz.* in carmine ad *Seleucum*; nec *s. Epiphanius* l. de mensuris et ponderibus: nec *s. Ioannes Damascenus* l. 4 de fide orthodoxa; nec concilium *Laodicense*, canone ultimo, nec *s. Hieronymus* praefat. in libros *Salomonis*, ubi testatur ecclesiam hunc librum (nempe Ecclesiasticum) legere ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam; nec tandem *Rufinus* in expositione symboli, ubi cum libros enumerasset, « quos patres intra canonem concluderunt, ex quibus fidei nostrae assertiones constare voluerunt » addit: « Sciendum tamen est, quod et alii libri sunt, qui non canonici, sed ecclesiastici a maioribus appellati sunt: ut est sapientia Salomonis, et alia Sapientia, quae dicitur Iesu filii Sirach: qui liber apud latinos hoc ipso generali vocabulo ECCLESIASTICUS appellatur: quo vocabulo non auctor libelli, sed scripturae qualitas cognominata est: » ergo liber Ecclesiastici non est canonicus.

R. Dist. cons. Ergo liber Ecclesiastici non est liber proto-canonicus, conc.; non est liber deutero-canonicus, nego. Ex omnibus in allata obiectione allatis solum conficitur, librum *Ecclesiastici* non esse *proto-canonicum* (7), seu in primo canone non contineri, quia nec hebraei illum ut canonicum habuerant, cum

(4) V. *Harduinum* t. 11, coll. concil.

(5) Vide Scriptur. s. contra incredulos propugn., V. T., p. 4, q. 1, n. 5, 6 et 7.

(6) Ibidem n. 1, 5 et 6.

(7) Ibidem n. 1.

post obsignatum iam canonem Esdrinum sit editus, et de illo a nonnullis veterum dubitatum sit, num sit liber divinus, seu Deo dictante et inspirante scriptus. At est liber *deutero-canonicus*, seu in secundo ordine librorum canonicorum habetur; siquidem longe plures et maioris auctoritatis ecclesiae illum ab apostolorum temporibus ut sacrum et divinum receperunt, et ecclesia universa illum canonicum declaravit in oecumenica synodo tridentina (1). Ad haec patres ipsi, qui in librorum canonicorum indice Ecclesiasticum praetermiserunt, illius tamen testimonia tanquam libri sacri, et Spiritu s. auctore conscripti laudare non dubitarunt, scilicet *Origenes*, qui homilia 9 in Ezechielem ita profatur: *Quid enim ait Scriptura? Quid superbit terra et cinis? Et: In vita eius proiecit interanea eius.* Habetur autem hoc Eccli. 10, v. 9 et 10: s. *Gregorius Nazianz.* oratione 1 contra Iulianum inquit: « Duc tu quoque precibus tuis, praei sermone, fulci spiritu. Benedictio enim patris firmat domos filiorum. » Quod scriptum est Eccli. 3, v. 2 et 3 s. *Epiphanius* in Ancorato cap. 12: « Etenim cum nos Scriptura reprehendat his verbis: Quae praecepta tibi sunt, haec cogita; neque arcanis et occultis tibi opus est: et altiora te ne quaesieris, ac profundiora te ne inquiras. » Habetur Eccli. 3, v. 22: s. *Hieronymus* epist. 34 ad Iulianum: *Divina Scriptura loquitur: musica in luctu intempestiva narratio.* Habetur Eccli. 22, 6: s. *Ioannes Damascenus* oratione 1 de dormitione Deiparae: « Quamvis omnibus Dei servis, quorum mors beata ducitur, ab ipso vitae fine istud comparetur,

(1) Sess. 4 in decreto de canon. Script.
(2) Loc. cit. num. 174 et 175.
(3) Praefat. in hunc prologum

ut Deo grata eorum vita iam in tuto sit, eoque nomine mors ipsorum fausta ac felix habeatur (mors enim eos perfecit, beatosque ostendit, id videlicet ipsis afferens, ut in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat, iuxta illud Scripturae oraculum: Ante mortem neminem beatum dicas): minime tamen hoc in te usurpabimus. » Quod Eccli. 11, v. 30 scriptum est: *Ante mortem ne laudes hominem quemquam.*

78. **QUAERES IV.** *An etiam prologus lib. Ecclesiastici canonicus sit?* R. Rem hanc ab ecclesia nondum esse decisam, sed inter ipsos doctores catholicos controversam. Equidem, teste *Hermanno Goldhagen* (2), plerique cum *Cornelio a Lap.* (3) negant, prologum illum esse canonicum, et ratio negandi est, quia *Siracides* iunior qui huius prologi auctor est, avi sui librum seu Ecclesiasticum duntaxat ex hebraeo in graecum transtulit, ut ipsemet in praedicto prologo testatur: sed interpret, qui librum aliquem divinum ex una in aliam linguam transfert, non est hoc ipso auctor theopneustus, seu a Deo inspiratus, quamvis eidem prologum praefigat: ergo prologus ille non est canonicus, neque pars sacrae Scripturae. Hinc idem prologus in multis sacris codicibus deest, ut in bibliis complutensibus LXX interpretum, item in versione arabica et syriaca. Hoc non obstante sunt, qui (quamvis ex rationibus mea opinione minus firmis) defendunt, memoratum prologum esse canonicum. Ita sentit *Bonfrerius* (4), et *Gretserus* (5), quos, si lubet, consule.

79. **QUAERES V.** *Quomodo illud (Eccli. 7, v. 15): NON ITERES VERBUM IN ORATIONE TUA, cum illo (Matth. 26, v. 44): ORAVIT (Christus) TER-*

(4) In prae loq. s. Script. c. 4, sect. 14.
(5) In defensione *Bellarmin.*, lib. 1, c. 14.

TIO EUNDEM SERMONEM DICENS, concordet? R. In L. Eccli. loc. cit. spectandus est totus versus, qui ita sonat: *Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum, et non iteres verbum in oratione tua.* Unde Scriptura hoc loco tantum vult id, quod Christus alibi (1) docuit, dicens: *Orantes nolite multum loqui, sicut ethnici: putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur.* Clamandum igitur potius affectu quam voce, cavendaque futilis battologia sine affectu interno prolata. Laudabilis autem ecclesiae consuetudo et usus fidelium est, qui exemplo Christi eundem sermonem orando repetentis, ex abundantia pii affectus easdem preces repetunt.

80. **QUAERES VI.** *An verba illa (Eccli. 18, v. 1): QUI VIVIT IN AETERNUM, CREAVIT OMNIA SIMUL, non contradicant primo capiti L. Geneseos, ubi disertis verbis narratur, Deum non simul et semel, verum successive seu spatio sex dierum huius mundi singula creasse?* R. Etiam si Deus rerum species successive per sex primos mundi dies creaverit, tamen cum veritate dici potest, quod *omnia simul creaverit.* Et sane *Cornelius a Lapide* (2) decem diversas huius sacri textus auctorum expositiones refert, quarum omnes sunt probabiles. Ego tres solum ex praecipuis affero. PRIMO ergo omnia *simul* sunt creata creatione proprie dicta. Creatio enim est et dicitur, cum res producit ex nihilo, sine ulla materia praeiacente. Talis autem fuit duntaxat primo die, imo primo instanti mundi: illo enim creavit Deus coelum, terram et abyssum ex nihilo: ex illis deinde cetera omnia sequentibus quinque diebus non tam crea-

vit, quam formavit et distinxit. Quare omne quod proprie creavit ex nihilo, hoc totum primo die creavit: primo enim die creavit omnem mundi materiam, ex qua ceteris diebus cuncta in suas species et formas effinxit, sicut figulus ex luto varias vasorum formas effingit. Ita *Suarez* cum aliis.

Hinc SECUNDO Deus omnia *simul* creavit, quia primo mundi die virtute omnia simul creata sunt: nam simul factae sunt principales mundi partes, scilicet coeli et elementa, in quibus alia virtute et quasi in semine continebantur, atque ex illis postea cetera omnia corporea facta sunt: astra enim de coelo facta sunt; viventia vero ex aquis et terra. Ita s. *Gregorius* (3), s. *Thomas* (4), *Rabanus*, *Hugo*, *Dionysius*, *Lyranus* et alii.

TERTIO, omnia creata sunt *simul*, graece *συνῆ*, id est, *pariter*, nulla re excepta: q. d. Omnia pariter a Deo sunt creata: nihil est, quod ab eo non sit creatum. Atque hanc expositionem *Cornelius a Lap.* (5) censet maxime genuinam ex sequentibus rationibus. I. Quia hoc significat vox graeca *συνῆ*, id est, communiter, pariter, nullo excepto: unde vox *simul* referenda est non ad *τὸ creavit*, sed ad *τὸ omnia*: q. d. Omnia simul, id est, pariter, nullo excepto, creavit Deus; ita ut nullum sit ens, quod Deo suum esse non debeat, seque ab eo creatum confiteri non cogatur. II. Quia vox *simul* etiam alibi in Scriptura non raro idem significat ac pariter, communiter, nullo excepto, ut (6): *Omnes declinaverunt simul*, id est, communiter, nullo excepto. Item (7): *Simul in unum dives et pauper*: et iterum (8): *Simul* (id est, pariter,

(1) Matth. c. 6, v. 7.

(2) L. 1 de opere sex dierum c. 12, n. 22.

(3) L. 32 moral. c. 9 et 10.

(4) P. 1, q. 74, art. 2 ad 2.

(5) Loc. cit. (6) Psalm. 15, v. 5.

(7) Psalm. 48, v. 5. (8) Ibidem v. 11.

quamvis non eodem tempore) *insipiens et stultus peribunt*; et sic saepe alibi. III. Quia Eccli. 18, v. 1, pro *simul* vertunt *communiter* Complut. Rom. Tigurina, aliique. IV. Quia idem sensus patet ex contextu, atque ex scopo Siracidis. Scopus enim eius loc. cit. est docere, tam solem quam homines, ceteraque omnia, creata esse a Deo *simul*, id est, communiter, pariter, ac proinde omnia omnino manifestare immensam Dei potentiam, bonitatem etc., eaque iugiter indigere, ut in sua natura, quam a Deo acceperunt, conserventur. Ad hoc autem impertinens est, quod *simul*, id est, eodem instanti temporis, omnia sint creata.

81. QUÆRES VII. *Quomodo illud* (Eccli. 49, v. 5): *PRAETER DAVID, ET EZECHIAM, ET IOSIAM, OMNES PEC-CATUM COMMISERUNT, intelligendum sit? Nonne enim etiam David peccatum adulterii et homicidii etc. commisit? Nonne Ezechias* (4. Reg. 20, v. 13 etc.) *externorum principum amicitiae, et divitiarum suarum copiae nimium confidit?* R. et dico, sermonem ibi esse de peccato idololatriæ, vel alio huic affini, in quod reges Iuda plerique lapsi sunt. Igitur sensus est: *Omnes praeter David, Ezechiam, et Iosiam pec-*

(1) Iam alibi (scilicet Script. s. contra incredulos propugn., V. T., p. 5, q. 52 in lib. Regum, n. 58) observavimus, duplicis generis fuisse apud iudaeos *excelsa*, quo nomine altaria et templa in locis altioribus erecta designantur. Quaedam profanis idolis erant erecta, cum statuis, et lucis, et peregrino cultu: quaedam autem vero Deo erant erecta, sed loco non debito. Haec posteriora non evertunt Rex *Asa*, ut habetur III. Reg. c. 15, v. 14; et Rex *Iosaphat* II. Paral. c. 20, v. 53. Neque tamen hoc illis vertitur magno vitio, quia plurimi putabant, id adhuc licere, condito iam templo, et certo loco Ierosolymis statuto pro publico cultu divino et sacrificiis; sicut licuerat iudaeis ante conditum templum hierosolymitanum, cum nondum certus locus talis

catum idololatriæ, vel huic aliquo modo affine commiserunt, quia scilicet excelsa, in quibus vel idolis, vel Deo quidem vero, sed loco et modo indebito cultus deferebatur (1), non abstulerunt. Equidem Scriptura laudat quoque *Iosaphat*, sed eum redarguit, quod cum *Achab* et *Ochozia* (2) foedus percusserit, et excelsa non succiderit (3). *Asa* quoque eiusdem culpae de excelsis non sublatis se reum fecit (4).

At INQUIES: Si *Asa* et *Iosaphat* dicto modo peccarunt, non apparet, quomodo Scriptura (5) cum veritate dicere possit: *Cor Asa perfectum erat coram Domino cunctis diebus suis*. Et iterum (6) de *Iosaphato* rege: *«Ambulavit in omni via Asa patris sui, et non declinavit ex ea: fecitque quod rectum erat in conspectu Domini»*. R. Certum est, quod *Asa* et *Iosaphat* non fuerint immunes ab omni culpa, ut a nobis iam ostensum est, et de *Asa* etiam ex eo liquet, quia is (7) potius in *Benadad* rege Syriae fiduciam posuit, quam in Domino Deo, et *Hanani* prophetam, qui ipsum ob id increpavit, in nervum coniecit, hoc est, iussit ei iniici compedes ex nervis confectos; ac denique aegrotans non quaesivit Dominum,

pro cultu divino et sacrificiis designatus esset. Quia tamen prudentiores sciebant, id illicitum esse, neque hoc poterat reges latere; hinc saltem pro naevo notatur tum in *Asa*, tum in *Iosaphato*, quod seu metu popularis offensionis, seu neglectu accuratioris disciplinae tolerarint eiusmodi *excelsa*, quae ad cultum veri Dei erant erecta. Et idcirco Eccli. c. 49, v. 5, praeter *Davidem, Ezechiam et Iosiam omnes* alii reges Iuda peccasse dicuntur, nempe excelsorum vel usu, vel tolerantia culpabili.

(2) III. Reg. c. 22, v. 4, 5. Et II. Paralip. c. 19, v. 2 et cap. 20, v. 57.

(3) III. Reg. c. 22, v. 45, 44.

(4) III. Reg. c. 15, v. 14.

(5) Ibidem. (6) III. Reg. c. 22, v. 45.

(7) II. Paral. c. 16.

sed magis in medicorum arte confisus est. Quare, cum cor *Asae* vel *Iosaphat* in sacris literis dicitur fuisse *perfectum* aut *rectum in conspectu Domini*; hoc non est intelligendum de perfectione aut rectitudine prorsus universali et omnimoda; sed tantum de perfectione aut rectitudine permagna in puncto religionis, in quantum in corde suo abominati fuerunt excelsa illa, quae tamen ob metum populi iusto diutius tolerarunt. Hoc enim significant verba s. Scripturae loc. cit. *Excelsa autem non abstulit. Verumtamen cor Asa perfectum erat coram Domino*. Item illa de *Iosaphato* testantia: *Fecitque quod rectum erat in conspectu Domini. Verumtamen excelsa non abstulit*. Ceterum per hoc, quod corde tantum aversati fuerint excelsa, non excusabantur a diuturna horum excelsorum permissione; ferme sicut sacerdos *Heli* non excusabatur a peccato nimiae indulgentiae in filios, etsi horum scelera intus in corde suo, imo etiam verbis (1) improbaverit.

82. QUÆRES VIII. *Quomodo Siracides* (Eccli. 49, v. 16 et 17) *dicere potuerit: NEMO NATUS EST IN TERRA, QUALIS HENOCH, NEQUE UT IOSEPH; cum tamen INTER NATOS MULIERUM NON SURREXERIT MAIOR IOANNE BAPTISTA, prout Christus ipse* (Matth. 11, v. 11) *testatur?* R. *Siracides* haec scripsit de hominibus veteris Testamenti, qui ipsum praecesserunt, et quorum laudes ibi recenset. Hos enim inter se, non vero cum hominibus nondum natis, e. g. cum s. *Io. Baptista* comparat. Ceterum textus syrus habet: *Pauci creati sunt super terram sicut Henoch, et mater ut Ioseph non peperit*.

Comparatio autem inter *Henoch*

(1) I. Reg. 2, v. 25. (2) Gen. 5, v. 24.

(3) Genes. c. 50, v. 25 et 24.

(4) Eccli. c. 49, v. 16, 17 et 18.

et *Ioseph* loc. cit. instituitur hoc sensu: Sicut *Henoch* ante diluvium, ita *Ioseph* post diluvium noëticum inter ceteros maxime enituit, quilibet in genere suo. *Henoch* quidem, eoquod Dei pietatem impensius coluit inter nequissimam vitiorum omnium colluviem, et insigni praerogativa, vivens adhuc ex his terris (2) abreptus est; *Ioseph* vero, eoquod imperavit fratribus suis, licet non esset primogenitus eorum, et singulari Dei providentia in Aegypto pro-rex factus, familiam suam tueri, atque inter prementem annonae caritatem alere potuit, ipsiusque defuncti ossa Deus visitavit, et post mortem prophetaverunt, hoc est, ossa *Iosephi* prophetiam, quam *Ioseph* vivens de exitu hebraeorum ex Aegypto ediderat (3), confirmarunt. Contextus enim (4) ita habet: *Nemo natus est in terra qualis Henoch: nam et ipse receptus est a terra. Neque ut Ioseph, qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis.... Et ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt*. Plura autem de comparatione inter *Henoch* et *Ioseph* erudite more suo refert *Cornelius a Lapide* in eundem locum.

83. QUÆRES IX. *Quid nomine SAPIENTIAE* (Eccli. cap. 1) *intelligatur?* R. Quae hoc loco sapientiae tribuuntur, partim increatae, partim creatae sapientiae conveniunt. Increatae quidem, ut quod fuerit ab omni aevo, seu ab aeterno (5), creatae vero, ut quod timor Domini sit initium sapientiae (6). Itaque sapientia Eccli. cap. 1 (quemadmodum in libro Sapientiae) sumitur generatim, prout Deo convenit infinite, hominibus pro modo cuiusque. Pluribus hoc explicat *Cornelius a Lapide*. (7).

(5) Eccli. c. 1, v. 1.

(6) Ibid. v. 16.

(7) Comment. in Eccli. c. 1, v. 4.